Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36883
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Numia communiter appellatur, primo salvus applicui ubi cum meis pro mea recreatione descendi et ibi tutus per dies aliquos
moram traxi cum michi et meis nullus ibi molestiam intulisset. Deinde a dicto portu discendens aura michi
blandiente secunda in portu qui dicitur Calcofages salve perveni ubi similiter cum meis per dies aliquos moram traxi.
Cumque fallaces venti michi tempus prestitissent suaderet a dicto portu discessi et fere per tres dies subsequentes ad
proximum feliciter navigavi. Tunc subito ventorum tempestas invaluit, et aer de sereno repente factus est
turbidus et in certa navigacione, nunc huc nunc illuc me sub nimia tempestatis clade vexavit. Demum
tempestas ipsa me compullit in Siciliam divertere me invito. Ubi vexaciones passus sum plurimas et la-
bores. Erant enim duo fratres reges in Sicilia, quorum unus vocabatur Sergones, et alter Ciclopam. Hii at-
duo reges irruerunt in me et meos, videntes naves meas tantis repletas diviciis et exposuerunt eas
prede, auferentes quicquid invenerunt in eis per violenciam in multitudine suorum armatorum. Et eo amplius
supervenientibus duobus eorum filiis et militibus valde strenuis et nimium bellicosis, quorum unus vocabatur A-
lifam, et alter Pollifemus, ipsi in meos milites irruentes centum interfecerunt ex eis, ceperuntque
me et Alphenorem unum ex sociis meis nos in quodam castro in carcere detrudentes. Hic Pollifemus
habebat quandam sororem virginem speciosam quam postquam Alphenor in concupiscencia eius exarsit et eius
illaqueatus amore, factus est valde demens. Per sex igitur menses me captivum detinuit in Sicilia Poli-
femus, sed demum misertus est mei et me cum Alphenore liberavit. Cui Pollifemus postea multum michi
multum comodi contulit et honoris. Sed Alphenor circa sui amoris vehemenciam in tantum operam suam dedit
quod sororem Pollifemi quam diligebat noctis tempore a secretario patris eripuit, ipsamque secum adducens, quod ut
pervenit ad suorum noticiam, sui contristati sunt valde propter quod idem Pollifemus iterum in me et meos eadem
nocte prorupit, et sic in impetu contra meos sui recuperaverunt Pollifemi sororem. Cum Pollifemus in
me demum irruit et dum ab eo insisterem me tueri unum sibi ex oculis eius eruissem et cum sociis meis
qui michi superant in naves proprias me recepi, cum eis a Sicilia eadem nocte recedens.

Qualiter Ulixes aplicavit in insula eolidem et invenit Circem et ex ea filium procreavit.

Deinde recta navigacione potitus in Eolidem insullam me ventus impullit, quam ut invenium. In hac
vero insula erant due puelle sorores nimium speciose ipsius insule domine, in arte nigromancie et exorcitacione
omnibus nimium erudite quosque igitur navigantes in hanc insulam fortuna trahebat per dictas sorores non tantum
earum pulcritudine, quantum earum incantacionibus magicis sic tenaciter capiebat quod nulla spes erat intrantibus
ab insula posse recedere et omnium aliarum curarum obliti adeo tenebantur quod siquos inveniebant ad earum man-
data rebelles statim eos in bestias transformabant. Harum igitur illa maior que magis in hac scientia docta erat
Circe, et altera Calipso proprio nomine vocabatur. In quarum potestate duarum me fortuna deduxit. Quarum una vi-
delicet Circe meo quasi amore bachata suas immiscuit pociones et suarum incantacionum insidiis sic fatue
me alusit quod per annum integrum michi non fuit habilitas recedendi infra quem annum Circe concepit in utero
ex me filium qui postea natus et crescens factus est vir nimium bellicosus. Ego autem circa propositum meum recessus
curam adhibui quod Circe irata presensit credens me suis magicis incantacionibus detinere, sed ego qui arte illa
similiter eram instructus contrariis operacionibus omnia sua figmenta destruxi et penitus annullavi. Et sic quia ars de-
luditur arte, contrariis cometis Circes in tantum prevaluerunt efficacius artes mee quod cum omnibus sociis
meis qui mecum erant ibidem a Circe nimium anxiosa recessi. Sed michi quid profuit ille recessus. Nam
cum intrarem me mari, ventus me impullit in terram regine Calypsse que a suis artibus sic me illaqueavit
et meos quod maiori tempore quam voluerim me invitum detinuit renesisse. Mora tamen ipsa michi non fuit tedi-
nimium tediosa, propter ipsius regine pulcritudinem speciosam et propter affectus placidos quos tenens ipsam mihi
que placere michi et meis ut plenius est conata. Tandem per mei sensus industriam factum est quod ab ea sal-
vus recessi in magna tamen anxietate laboris cum artes suas mee vix repellere potuissent. Deinde